

CXVII

SIMON

LAVDATIO
IN FVNERE
FRANCISCI MEDICEI,
E SERENISSIMIS HETRVRIAE Principibus,

HABITA A BALDVINO DE MONTE De Simoncellis è Viceni Dominis: Eiusdem Principis Aulae Maiori Praefecto.





FLORENTIAE, CVM PRIVILEGIO
Apud Io: Donatum, & Bernardinum de Iunctis, & Socios.
MDC.XIIII.
Superiorum permissu.

LAVDATIO
IN FVNERE
FRANCISCI MEDICEI,
E SERENISSIMIS HETRVRIAE
Principibus,


HABITA A BALDVINO DE MONTE
[illegible] Principis
[illegible]



FLORENTIAE, CVM PRIVILEGIO
Apud Io: Donatum, & Bernardinum de Iunctis, & Socios
MDCXIIII.
Superiorum permissu.

MARIAE MEDICEAE GALLIARVM REGINAE CHRISTIANISSIMAE.

BALDVINVS DE MONTE SEMPITERNAM Felicitatem.






Rancisci Principis laudationem, quam in eius parentalibus militari potius eloquio, quam oratorio peregi; ratus non impar tantae maiestati munus, tuos ob oculos ponere Reginarum Christianissima decreui. Dispicies enim in hac veluti aeternitatis tabella, summa tibi necessitudine coniuncti Principis, viuentem adhuc, aspirantem imaginem. Et quas ille praeclarissimas Regij animi virtutes in illo flore aetatis, ac robore, tibi viuens dicauerat, eo demortuo, quo sui, vt cumque voti compotes fiant, tuo ego nomini Francisci Principis internuncius, emancipabo. Viuent illae quidem atq; in omnem viuent posteritatis acclamationem, si tui praeconium nominis consequentur. Quos enim ego perbreues Orationi meae ab eloquentiae tenuitate verebar dies, eos à tui patrocinij maiestate, peren-

nes

nes auguror. Quare non modò Principis laudibus abundè consultum existimabo, et satis à Magno Duce impositae mihi prouinciae fecisse videbor, verum etiam terrarum orbi vniuerso, quem tanti Principis iactura maerore confecit, non exigua praebuisse solatia, si illius, quem luget, superstitem in omnium animis memoriam, tuae (Reginarum Maxima) amantissimae fidei commisero. Quod eo libentius facio, quod tua tibi, non aliena, affinis principis, non externi Regis, virtutes consecro: Viue felix, et Florentem istam Imperij, vitaeq; vsuram diu serues incolumem.



Florentiae Quarto nonas Iulij 1614.



E miſerum, cui parentandum hodie, ad quo ego luctus acerbiſſimi funeris vocor? quem deplorare virum? Quas praeclariſſimas virtutes funeſtiſſimae recordationis officio proſequi debeo? Quid faces innumerabiles? Quid ingens hic apparatus? Quid ſibi volunt ſplendidiſſima inſigna triumphi? Vbi triumphans? Vbi victus? Me miſerum, terquè, quaterquè miſerum, nec ſatis compotem mentis. Principi parentandū Franciſco: triumphat mors: Iacet ille. Ille inquam, tantarum virtutum, Princeps Franciſcus iacet, mihiq; plorantibus, vel ſilentibus cunctis, in hoc frequenti, moeſtiſſimoquè conſeſſu loquendum eſt vni. Magnificentiſſimum ſanè, atquè honorificentiſſimum mihi munus iniunxiſti, Sereniſſime Princeps, ac, ſi quae mente concipio, oratione aſſequi poſſam, iure quidem optimo iniunxiſſes; cui enim potius mandandum extremum hoc tuae in Principem Fratrem pietatis teſtimonium, quàm Principis domeſtico? cur autem ex domeſticis alij potius quam mihi? Si caeteris etiam tanto oneri ſubeundo non omnino pro rei dignitate paribus, non cuius vis noſtrum hac in re facultas, ſed tua voluntas penſanda erat. Non igitur quia dignus prae caeteris eſſem, tu me elegiſti, ſed dignum feciſti, prae caeteris eligendo. Atq; ego quidem, ſi ex concepto animi mei ſenſu dimicandum fuiſſet cum hoc acerbiſſimo dolore, ſilentio, quam verbis, lacrimis, quàm oratione rem agere maluiſſem; neſcio enim quo pacto illud accidat, vt ſuaui quadam amaritudine flendo aſpergatur animus, loquendo autem (ex loco praeſertim ornatiſſimo, atq; ampliſſimo) frangantur doloris impetus, ac ſubinde acriores, vehementioreſq; animum repetant; dum enim, vel perſonarum, vel loci dignitati ſtudemus, naturae parum inſeruimus, quae anguſtos hoſce praeſtitutos ab eloquentia dolori fines, refugit, ac planè comtemnit. Qua de re tamen verendum mihi non eſt, Auditores, imparatus enim omnino eloquentiae artibus ad dicendum accedo quas in Principum aulis bellicis potius exercitationibus, quàm litteris innutritus nullas penè hauſi ſed magna doloris vi, ac lacrimarum copia

 inſtru-

instructus, quibus in primis non oratorem magis, quam perluctuosi funeris deploratorem ornatum esse oportet; illas autem nec quaero, nec queror, cum non adsint; nunquam enim oratoriae artes fuerunt necessariae minus: nam nihil vnquam accidit tam suapte natura, acerbum, luctuosum, funestum; Caeteros enim post ex actam vitam obtruncat mors, Franciscus Princeps antequam vixerit, vel in ipso vitae limine extinguitur, consentiente, seu frustra prohibente natura, quae iam effoeta, senexq; praestantes viros, aut procreare, nescit aut seruare. Nam si Principibus viris illud est viuere, ad gloriam nimirum operari, qui firmus est, ac constans benè actae vitae cum virtute consensus, quid aliud potuit Princeps noster, cum vigesimum aetatis annum fere non expleset, quam spem, floresq; virtutum illarum aperire, quae consequenti deinde annorum serie tanquam felicibus imbribus auctae ad gloriam vberrimè maturescunt? Sed qualem, & quantam spem ostenderit, quos flores, quàm fructui proximos explicarit, patefaciam, Auditores: si illud primum dixero, eos, qui amoeniorem sapientiae cultum profitentur, docuisse, virtutes omnes effroenatarum animi perturbationum, irae, spei, timoris, gaudij, voluptatis esse moderatrices. Harum autem triplicem quasi ordinem constituunt, in quarum primo eas, quibus Deum piè, Sanctéque colimus, fidem, pietatem, religionem collocant; In altero verò eas quibus homines, quà aequales, quà inferiores, quà superiores mutuis deuincimus officijs, amorem, obsequium, comitatem, reuerentiam, iustitiam, liberalitatem. Postremum deniq; locum ijs tribuunt, quibus nostras animi affectiones, quaeq; nos ipsos propius attingunt, ad certam ac praefinitam rationis normam informamus, temperantiam, fortitudinem, prudentiam. De his igitur quasi virtutum copijs, quibus ille munierat se se, arduum gloriae iter, at maiorum suorum vestigijs tritum, ac pressum, ingressus, singillatim agam claro, distributoque ordine, quo diuturnior praeclarissimi Principis insideat in animis memoria.

Ac primum, vt inde mea exordiatur Oratio, vnde etiam vitae initia ducimus, quòue rerum omnium finem conuertimus, qualem se gesserit in Deum, quem ei cultum praestiterit, dum

viueret,

uiueret, quàm aſſiduum, quam pium, caſtum, integrum, atq; incorruptum, ex quo clarius intelligere poſſumus, quàm ex ipſa mortis ratione, qua nullus ante actae vitae incorruptior, nullus locupletior teſtis excitari poteſt? Et quis vnquam in extremo illo, atq; acerbiſſimo naturae caſu, aut ardentius dilexit, aut piè magis paruit, aut fortius conflixit, aut magnificentius pretioſiſſima corporis, naturaeq; bona, vitam, ac Principatum neglexit? Enimuero tum praeſtantiſſimae virtutes illae, quas per vitae anfractus cuſtodes, rectoresq; ſibi educatione, exemplis delegerat, clarius emicuere. Ac ſicut eo vires ſuapte natura tranſmittit cor, quo nocens ac peſtilens humor exundans, impedit genitalis vitae munera; ſic cum extremae, ac periculoſiſſimae conflictationis àb arce animi ratio extuliſſet ſignum, fides animi cuſtos, caritas ipſius animi vita, ſpes vitae ſolatium, caeteris ad propria munia virtutibus diſtributis, cum mundo, cũ morte bellarunt: & ita bellarunt Auditores, vt corporis caſtra, vel derelicta, vel ſpreta, fur, inuaderet, nocturnusq; praedo: hinc ſenſuum abalienationes, quà vigilijs, quà ſopore excitae; hinc caetera emanarunt aegritudinum monſtra, quibus ad maius opus praeſtantiſſimis animi virtutibus addictis, nobile illud ergaſtulum vexari, diripi, confici vidimus. At quemadmodũ, ſi pugna adhuc feruescente bellatorum manus direptis caſtris latura opem adueniat, aufugiunt predones, ſpolijsq; quae iam vorauerant animo impigre relictis, hàc atq; illac, vagi, palanteſq; fugae ſe dedunt, ita violenti corporis motus, atq; animi conuulſiones ſedabant ſe ſe, vbi ſacratiſſima Virginis, pijſſimi Ieſus, Praepotentis Dei nomen, tamqua auxiliares copiae adhiberentur. Id auribus, id oculis hauriebat, quietemq; etiam ex eo crederes hauſiſſe. Ac ſane mirum paulò ante ſenſibus aberrantem animum, tam mentis compotem vno oculorum ictu, vna ſanctorum nominum imploratione fieri, vt non ſolum coeleſtia illa nomina recognoſceret, verum etiam ad quem finem vſurparentur penſitaret, atq; diſtingueret reliquorum autem noſceret penè nihil. Nam vt vigilantiſſimam peſtem, quae nobile illud corpus peſſumdabat ſomno vinciret, Principis cubiculi praefeſtus, è coelo ſuppetias impetraturus, laborantis, ac extrema propemodum patientis ad aures, Ieſus ait, nobis dor-

morientibus adsit, bone Princeps; quinimò inquit ille, Iesus nobis morientibus ad sit; Iterum praefectus haud moriendi tempus Princeps, sed dormiendi, Iesus nobis dormientibus ad sit; tum Princeps intermortuis vocibus atq; ad animi sensum aptissimis, Iesus, Iesus, inquit nobis morientibus ad sit; nolebat enim somno à Iesu distrahi, sed cupiebat cum Iesu morte coniungi; optabat nimirum in illos diuinitatis amplexus ruere, ad quos iamdudum castissimum animum adornauerat. Quod vt consequeretur, quam validam Patronam repererat, Deus immortalis? Mariam Coeli decus: Angelorum Reginam, Iesus Matrem, cui bonae plenus spei sui tutelam in primis, suaeq; vitae custodiam commiserat, ac saepè suauissimam illam vocem, quoad per aegritudinis vim licuit, tamquam susceptae à Virgine clientelae monitorem repetebat. Maria Mater Gratiae; Mater Misericordiae Tu nos ab hoste protege; & hora mortis suscipe. Perantiquũ quippe fuit Francisco Principi Virginis patrocinio frui non dũ enim vitam acceperat, cum iam presentem Virginis opem senserat; nam in has tenebras, quas lucem appellamus egressum Serenissima Mater diuino quodam afflatu Virgini Sacratissimae dicauit infantem, quem Lauretanam domum pietatis ergo proficiscens, ipso in itinere concepisse se primò cognouerat, atq; auspicatissima tandem die, quam saturno fabulosa dicarat antiquitas, nos coelesti, quodam numine Deiparae Virgini consecrauimus, felicissimè enixa erat. O praeclarum in nascentem puerum coeli blandientis aspectum, non Iouis, aut Martis, aut reliquorum, quae inerrantia dicuntur astra, spectabilem oculis, sed illius luminis intuitu, quod si caeteris cum luminibus conferatur, sol longè clarissimus, si cum summo, ac purissimo sole viuente, immensoq; Deo, sidus omnium longè fulgentissimum elucescet; hinc virtutum semina, de quibus dicturi sumus coelesti quadam vi emanarunt; atq; hinc factum puto, vt quod Lauretanum iter eius in vtero matris coagmentati corporis praebuerat argumentum, illud quoque dissoluendo initium praebuerit: haec erat scilicet illa citatissimi sydéris conuersio, quae vltrò abeuntem rapiebat ad se se, nec diu degere sinebat in terris; quem iam pridem coeli senatui addixerat, quamobrem qua Virginis die Franciscum Principem orbi concesserat, eadem,

 ex omnium

ex omnium oculis ereptum, cum ne aſpexiſſemus quidem tanti luminis iubar, Coelituum Reginae reddidit, ac Deo: propera nimis, ac feſtinata mors, ſed nexibus continentis vitae, quorum è coelo caput ducebatur, extremo ſimilis, atq; aptiſſima nodo. Quod enim certis ſub ſyderibus nonnullis in regionibus accidit, vt vel ſoli, vel ſolis, aut fertilitate, aut lumine, vix dum verno tempore ad ventante matureſcant meſſes, illud planè Franciſco Principi euenit, nam cum in animo virtutum omnium Feraciſſimo ſparſa vbertim eſſent coeleſtius gloriae ſemina, & cum praepotentis ſyderis lucem nactus eſſet cuncta adurentem mortalitatis impedimenta, acerba adhuc, nedum Florenti aetate, iactam è coelo ſementem, multiplici auctam incremento, ad maturitatē perduxit. Putarunt enim ſapientiſſimi, iidemq; ſanctiſsimi viri ſi vllum inuēiatur, illud eſſe diuinae adoptionis argumentū, ijs omnibus coeli praeſidijs, quae ſacramēta nuncupamus munit vanimū, e corporis tabernaculis in lucem immortalitatis emigrare. At Princeps noſter properantis veſtigia mortis perſentiſcens, huc mentem, huc oculos conuerterat; hinc non ſolum errata, quibus obſtrictus detinebatur animus, ſed iamdiu expiata crimina ſaepius in dies deteſtatus, non ſemel, atq; iterum confeſſus, veniam, quam fide petijt, efficacitate impetrauit: donec mundam, paratam que intellige ſnsecretiorem domum, vt flagrantiſsimae pietatis expleret ſitim, ea ſub imagine, quae Euchariſtiae dicitur Sacramentum, bis ſeruatorem orbis Chriſtum Dominum excepit hoſpitio, eztremamq; vnctionem, ſenſibus adhuc vigens, ac ſui benè compos poſtulauit. Sicq; animum longum, ac periculoſum iter ingreſſurum viatico roborauit, bellaturum armis ſuffulſit, atq; vallauit, in arenam cū morte luctaturum, ſacro oleo perunxit Quae cum piè admodū peregiſſet, difficile eſt referre, quo ille cultu, ac religione, quam forti, quàm inuicto pectore extremum Dei nutum opperiretur, quo ab arctiſſimis corporis compagibus, diſſoluendus erat immortalis animus; illud identidem, ac penè ſingulis ſermonibus vſurpans puluuis, & vmbra ſumus nullis rerum fulgoribus oculos perſtringentibus, quibus geſtit affluere mortalium genus ſed ijſdem ſemper quae legerat, veſtigijs inſiſtens, fugaciſſimam labentis ſaeculi gloriam nouiſſe ſe teſtabatur. quam cum aeterna beatitate commutare, pluſquam humane

cupiebat

cupiebat ingenio Sed quid ego humana ratione ſenſuq; argume ntor?ſi Franciſcus verè ad diuinitatē capeſſendā natus Princeps, non cogitationes modo, interioreſq; animi motus in Coelum intenderat, Sed voluit etiam ſummus ille opifex vniuerſitatis mortale eius domicilium tamdiu infeſtiſſimorum hostium obſidione premi, grauiſſimisq; doloribus vrgeri, ac longa adeò, difficilique mora diſtineri in eius ab animo diſſociatione, quò purior interim factus animus, magisq; Deo purgatus, leuius quodammodo, & compactum, ac coagmentatum minus redderetur corpus: ac demum conſumpta illa, peneq; ad nihilum redacta, quantula, quantula corporis moles, eſſet nobis argumento, quàm totus animus, ac totus, quem dicimus, ſpiritus fuiſſet, quamq; parū mortalitatis induiſſet, qui tenuem adeo, leuemq; particulam telluri reddiderit.

Primum explicaui gradum Auditores, virtutesq; illas luſtraui, quibus Deum, piè, integrè, caſtèq; coluit. Enage: in ſecundum oculos inijciamus, atq; apum more floridum circa nemus, potiora, pulchrioraq; legendo, fauum electiſſimarum virtutum effingamus, quibus natu, Imperioq; maioribus, Sereniſsimis ſcilicet Matri, Fratriq; Hybleo melle dulciorem operam nauauit, paratum obſequium, ſollicitum Amorem, ingenuam obedientiam. Ac ſanè ſi vt ſapientibus placet, haud ritè, ſiue in pace, ſiue in bello, caeteris praeeſſe poteſt, qui nemini ſubeſſe nouit, quàm alijs dignus extitiſſet Princeps noſter, vt praeeſset, qui tā ſcitè maioribus paruit? Aut quàm ſollicitè illis parendum fuiſſet, quibus ille prae fuiſſet, omnium artium ingenuè obediendi gnarus? Tuum praecipuè decus, Sereniſsima Mater, ad Imperij magnitudinem, ac dignitatem, obedientiae fundamenta iecisse, mentemq; vertibilem, adhuc arduo virtutis pondere, ad Sublimem, veramq; gloriam euexiſſe. Nam quod prudenti animo diuinabas, illud tandem accidit, vt Princeps iam per aetatem tutela egreſſus, proprioq; Marti commiſſus, nullo labore, humanis diuiniſq; legibus paruerit, iam tibi parere ſuetus, quae vigens illi atq; incorrupta lex vna prae omnibus fuiſti: Quare tibi potiſſimum, ac praeceptionibus tuis non ſolum nos, qui Mundum incolimus acceptum referre debemus quicquid in Principe noſtro pium, Sanctum, Magnificum, Glorioſum vidi-

mus; sed referuntetiam coelestes illae, ac Beatae mentes, quarum caetum tam claro tamq; illustri sydere decorasti. Verùm quid de obsequio in hunc, quem cernimus, Serenissimum, quid de amore dicam? ec quid vmquam obsequio illo vigilantius? quid amore magis sollicitum fuit? cui ex domesticis non videbatur in obsequendo aequalis? at quis domesticorum non illi videbatur in amando inferior? Nullum fraternae necessitudinis signum praeseferebat obsequium, amor autem argumentũ praebebat amplissimum: illud si spectasses è familiaribus aliquem putasses; hunc si cerneres ex fratribus praecipuum agnosceres. Miram, ac penè inauditam temporibus nostris rerũ coniunctionem, quae rarò admodum copulantur, nam raiò admodum accidit, vt ibi voluntas obsequio, amore quiescat, vbi, caetera omnia paria cum sint, magnitudinis, atq; Imperij excellentiam, ac debiti obsequij meritum penè necessarium natura congessit. corrigo sententiam meam, Auditores, non mira haec, sed magna, non portenta naturae sunt, sed Amoris effecta. Obsequebatur Franciscus Princeps COSMO Magno Duci; at Cosmus vnicè Franciscum diligebat; Ecquid mirum obsequium praestare diligenti? Iam ipse etiam amando obsequebatur, ac fortè primò obsequutus est, quia primus dilexit. Amorem igitur, quem obsequendo mutuatus erat, illi reddidit, qui diligendo commodauerat. O pulcherrimas sed cito nimis diremptas amoris vicissitudines. O nulli indulgentem, vereq; implacabilem mortem; semesa ergo, longoq; vsu ebrrita falce non puduit naturae ocellum, deliciasq; conterere? Nunc plane, quod aiunt, intelligo; consopitum à te Amorem exutum fuisse, surreptisq; telis eminus aggressam, nexus illos pulcherrimos fregisse, quos funesta falce recidere non poteras; etenim intempestiue cum Francisco Principe cominus te congredi, non sinebat, non patiebatur natura, quam inaudita calliditate fefellisti. At cum eo praeclarè actum est, tua manu, sed amoris telo ad perennem vitam transuecto: Serenissimo huic COSMO, nobisq; caeteris malè est consultum, quos tuis armis, Amoris inualida, ac impar tanto oneri, manus oppetijt; hinc immaniori ferro, sed minori vi inflicta nobis vulnera recrudescunt; eoq; viuimus vt doleamus: ille verò haud sensit sua, atq; ideo extinctus est, vt doloris omnino expers, aeternum viueret.

Hos

Hoc eodē amore aequales Principes fratres, sororesq; prosequutus est, sed inusitato quodānouoq; genere amandi, ex quo cō iectare licet, non copiosè modo amoris opibus abundasse, sed etiam scitè, prudenterq; distribuere, ac nouam in speciem formamq; amorem ipsum vertere nouisse. Nam in congressibus, in occursibus, in sermonibus, amore illo vtebatur, qui totus in mutuis offitijs est. At si quid accidisset, vel acerbum, vel funestum, & acrioribus quasi medicamentis egens in hoc vnototus cogitatione defixus, totisq; praecordijs, inhaerens, caritatem illicò ex amore formabat. Hac scilicet Laurentiū Principem aduersa valetudine correptum, atq; ad extremum laborantem, iuuit, eleuauit, erexit; Hostis enim Auditores quid amor effecerit eò tempore in caritatem conuersus, cum si sospitem, si incolumen, vt redderet impetrasset fratrem, Sacratissimae Virginis Lauretanam domum, hospitium nimirum Trinitatis augustissimum, inuisere summa pietatis significatione deuouit, atq; haec palam cetera retexit, quae secretioribus implorationibus fortassè peregit. Patuit tam pijs precibus Coelum; praebuit aures Coeli Regina, cumq; vno eodemq; beneficio ambo amantissimi fraters voti compotes effecti essent, superstes alter vitae redditus, Lauretum profectus alter votum exoluit, in morbum decidit, diem obijt. Et quod certius argumentum praebere potuit, non modo praecibus fratri opitulatum fuisse, ac profusis in pauperes elargitionibus quod totum amoris est, sed suae etiam vitae prodigum propria obeuntem fratrem morte redemisse, eiq; vitam impetrasse, quod ardentissimae caritatis prima est apud omnes commendatio. Faxit què Deus, Laurenti Princeps, vt non solum à pijssimo fratre reddito, crescentis adhuc aetatis flore diu feliciter vtaris, atq; ad maturos annos, fructusq; perducas, verum etiam quod illi detractum est, tibi addatur; tibi annos illius, tibi sensus ad gloriam, virtutemq; erectos, tibi caetera exopto animi bona, quae Francisci Principis cum essent, tua sunt optimo iure, cuius ille causa ea libentissimè profudit. Atq; vtinam hinc fiat, quod votis omnium exposcimus, vt cumulatis geminis virtutū patrimonijs, geminisq; vitae curriculis coniunctis, & belli gloria, & pacis diuturnitate florescas, diuq; nobis visendam praebeas istam, quam vulltu

refers

refers paternae magnitudinis imaginem praeclarissimam. Nam pro te, Carole Princeps, cum multa sint quae precor Deum, nihil tamen antiquius habeo, quam vt grates agam, cum eò virtutum radijs iam si euectus, vt extremum gloriae apicem ac dignitatis fastigium praeteruectus, amplissima bonorum omnium ornamenta, vel praeieris, vel consequutus fueris, vel ijs ipsis maiora te in vestibulo, atq; in limine expectent. Ignosce optime Princeps si in iustis tibi persoluendis singulis alijs Principibus se se mihi obijcientibus subsisto; videor enim mihi, vt arctius complectar, ac tuis cumulatioribus laudationibus in vnum congeram, spargere quodammodo Amoris officia, iaculatoris exemplo, qui, quo certius collimet, in omnem partem vertit se se, aeq; hastam examinat.

En igitur quibus potissimum virtutibus Deum coluerit maioribus sit obsequutus, aequales dilexerit, illae iam addendae sunt, quibus in agendo cum minoribus vtebatur mansuetudo, clementia, comitas, humanitas, ac reliquae, quas ita ad certum prudentiae, rationisq; modum dirigebat, vt illis, qui Principem internos cerent, ac familiarius pertractarent nihil vmquam occurrerit comitate illa grauius. clementia magnificentius, mansuetudine seuerius, humanitate venerabilius. Ac si reuerentia in Principes cultae maiestatis est argumentum, quod fastu, superbisque moribus oppressa sincerũ nequit mens nostra depromere, si que morum suauitate, aureis quasi laqueis, trahitur ad obsequium; veriorem, sanè modum, ac tutiorem, quo coleretur Princeps noster elegerat. Norunt omnes, quicumq; Principem norunt, quam comiter, quam humaniter in aula versaretur, Suo omnes nomine salutabat: obuios quosq; manu praehensabat, aliaq: implebat singularis humanitatis officia; ita vt, saepe permultos, ac nonnunquam in primis nobiles aliquot aduenas, priusquam Principem esse cognoscerent, in sui traxerit admirationem; Dignitas quippe oris Principem ostendebat, sed dubia oculorum fides, insuetis Principem contemplari, cuius, nec seueritati mansuetudo, nec grauitati comitas, nec Maiestati humanitas officeret. Primo itaq; conspectu amarunt, quem non nouerant, morum suauitate capti, coluerunt cum nossent cultum amore praestante, eoq; libentius, quo à natura comparatũ est,

vt officiosius eos colamus, quos volentes diligimus, quàm vt eos diligamus, quos colere necesse est. At verò cum ijs, qui ad quotidiana cubiculi munia adhibebantur, quàm sibi constans, ac similis? nunquam verbis minitantem, aut graui super aliis iratum, non tristem, non asperum videre, sed mitem, suauem, hilarem; horarum denique omnium, & eo frontis iubare, vt quibuscumque curis quis angeretur, placidissimo illo conspectu, omnes animi molestias abstergeret; quibus si à Principe subsidium quaesisset, quam liberaliter si suae fuissent partes, omnia praestabat; quam humaniter autem si à magno Duce impetrandum, quid esset, omnium ipse internuncius, ac deprecator voluntatum accedebat. Quod si aliquando inficias ire opportuisset (vt inconsulta saepe, & non aequa à Principibus efflagitamus) quibus ille verbis, quam placidis, quam liberalibus se se excusabatur, atq; hinc factum puto, vt qui postulata impetrassent, gratias agerent, non quererentur, qui non impetrassent.

Acthenus, auditores, Principis nostri virtutes cemportantes contractis velis in proximas littoribus oras cymbam egimus, nõ alto, non pelago commisimus; nam quibus ille virtutibus Deum coluerit, quam strictim, quam celeri cursu, quam omnino religiosè dicendum fuit? cum singulis fermè verbis arcana se se, atq; abdita obijcerent? De ijs verò, quae homines attingunt, quàm parcè, quàm prudenter, quàm verecundem vt auditorũ, quorum plerumq; tacita mentio incidebat, vel modestiae, vel authoritati inseruirem, illos ne nimium; hos ne parum dicendo laederem? Nunc aut em omnia vela orationis paudamus oportet? omnes aurae, ventiq: caprandi immensumq; aequor arandum est. Nam propiores virtutes, ac proximiora animi illius bona explicanda, atq; in aperto collocanda sunt; vnumq; etiam atq; etiam contendendum est mihi, vt liberiori orationis excursu, vestros ob oculos ponam; praeclarissimum Principis animum fortitudine audentem, liberalitate, munificum, prudentia directum, temperantia decorum. Quod dum praestare conabor, illud non vereor auditores, ne longus nimis in dicendo sim, si rectè, si clarè si distinctè, longa quamuis oratione dixero; puto enim illud mihi curae minime esse debere, vt satietati aurium, animorumq; vestrorum orationibus breuitate occurram,

sed

sed illud potius velis remisq; curandum est mihi, vt cumulatissimis Principis laudationibus satis cupiditati vestrae faciam. At priusquam Pelago ratem committamus cuius vitae generi initiatus fuerit quam paucissimis indicandum censeo; quo potiori virtuti tradito vexillo, quàm bene sub eius Imperio stipendia reliquae fecerint pro cōperto habeatis. Cum igitur duobus quasi curriculis ad gloriam prouehamur; litteris in pacatissimis ocij secessibus; armis in turbulentis bellorum tempestatibus; planiori ac faciliori semita destituta, totum se Marti, arduaeq; virtutis exercitationibus tradidit. Idcirco innatae prudentiae lumine fortitudine animi praeclara facinora incipi, conficiq; cognoscens, illa prae caeteris gestiebat cohonestari; illam oculis, manibusq; semper arma tractando; illam mente summorum virorum fortia facta recensendo, exquirebat; atq; ad illius se se nutum, quem optimè nouerat, totum componens, nihil tam arduum, tam difficile, tam asperum ducebat, quod illi non esset pro virili parte deuincendum; atq; vt id praestare facilius posset, quàm vigilantissimis oculis cuncta circumspexerat parens natura? Quam firmum; quam egregiè compactum; qua dexteritate; quibus viribus praecellens corpus ei formauerat? Quo ille incessu gradiebatur? quam ad animi magnitudinem exprimaendam accomodato? At verò si armis exercebatur. Quid illi proceritati in accessum, quid viribus arduum, quid agilitati difficile erat? Iam equos flectere ludus; iam venari; iam laboribus ac vigilijs ad imaginem militiae obdurati, fastidiebat, veram eius formam animo conceperat, eiusq; desiderio vnicè efferebatur Cum ecce tibi turbari Italiam, magnarumq; cladium è monte ferrato oriri semina; oblatam vltron occasionem lubens arripit; Matrem, fratremq; Serenissimos progat, suppetiasq; Mantuae Duci Laturis copijs, praeficitur. Tum verò in illa campestri meditatione patuit, quàm bene omnibus virtutibus suauissime concinentibus marti praeluserit; Nam qua prudentia traditas sibi copias deduxit reduxitq; ? Quàm sanè constabat à vigilantissimo Italiae pacis custode, exercitui praefectum fuisse, nec solum in milites Impetium, sed mentem etiam illosq; ad publicam vtilitatem, priuatamq; gloriam paratissimos sensus ab eo accepisse? Quibus laudibus, quibus acclamationibus, exercitum

illum. Ducem illum quà transibat prosequebantur omnes : in militibus modestiam, ac verecundiam, in Principe genus aetatem, virtutem commendabant. Eximium, atq; excellentissimũ prudentiae decus, adolescentem armatumq; Principem, robustos, ac praeferoces milites, quietem vbiq; pacemq; inuehere, ac sola bellandi cogitatione, bella, quacumq; issent propulsare. Et quoniam tribus potissimum rationibus prudentiam ipsam, quae tota est in delectu bonorum, ac malorum acquirimus, si nimirum, cum viris aetate, ac rerum gestarum copia insignibus versemur: Si maiorum praeclara facinora oculis, menteq; euoluamus; si mortalis vitae inopinos, atq; asperos casus, ex ipso rerum euentu tamquam è speculo contemplemur, atq; arduas pro institutae vitae ratione prouincias suscipiamus, totidem ferè etiam argumentis, si quis fuerit prudentia informatus animus, perspicere possumus. Verum quis vnquam viros aetate prouectos, quique singulare prudentiae specimen quae senectutis apex est, praeseferrent, studios ius complexus est ? qualis, ac quanta illa est. A omnis esset eloquentiae meae vis explicanda, vt adolescentem principem, senum, vestigia accuratissime insequentem ostenderem, nisi illos ipsos adesse cernerem, aulae primarios, militiaeq; clarissimos viros quorum ipse monita tanti faciebat, vt vel priuata eorum vox pro oraculo Principi nostro foret, qui licet ego omnia tacitus praeterijssem, in lucem suomet aspectu non vulgare tam eximiae prudentiae argumentum proferrent. Quibus domestica, pacataq; laude conspicuos, immixtos cum videam doctissimos, atq; eruditissimos viros, operam; ne ludam dicendo, suo ipsi faciunt honestissimo consessu qualem sectatorem, qualemq; suarum ammiserint artium admiratorem lacrimis, & squallore testantes. Neq; ad illustria maiorum Imperatorum totiusq; veteris memoriae facta recolenda, alijs scriptorum monumentis, quam his ipsis viuis, ac spirantibus voluminibus vtebatur quorum satius existimabat audire vocem, quam emortua aliorum scripta percurrere; malebat enim prudentiae disquisitionẽ certissimae aurium fidei, quam dubio oculorum obtutui credere; à quibus si quod Heroicarum virtutum, prudentiaeque exemplar; si quid Principe viro, ac Regis nomine dignum, accepisset, ad eius statim imitationem, flagrantissimi

fimi amoris aestu incendebatur. Inussit exactis aetatibus in generis adolescentibus, ac longè Principibus viris, recordatio haec alienae virtutis, stimulos ardentissimos, atq; iter illud, vt pedibus tererent vehementer impulit, cuius erant vestigia in maiorum gressibus admirati; hinc Alexandri in Achillem, hinc Caesaris in Alexandrū laudatissima, pulcherrimaq; exarsit aemulatio, atq; illa numquā satis laudata cupiditas, periculis, seu belli, seu pacis obiectandi caput, ac seminum, quae sparguntur tum ad ciuiles dissentiones conciliandas, tum ad Imperij fines proferendos, vel exagerata animi fortitudine militiae, vel ciuilis prudentiae temperatione, domi, fructus vberrimos capiendi. Quod extremum comparandae prudentiae, vel acquisitae iam experimentum, mirum quantum in Francisco Principe enituerit. Ingens recenti memoria in gallico oceano ventus excitatus, beatissimum illud pacis otium, quo in pacatissimo Reginae Imperio, tanquam in placidissimo portus sinu, vniuersa Galliarum regio fruebatur, non modo leuiter perturbarat, sed vehementius in dies efflans, valide concusserat, ac poenè disiecerat; & magnum indiscrimen Rempublicā vniuersam adduxerat. Cum pulcherrimā adipiscendae, prudentiae occasionem nactus; qua ratione, has turbulentissimae tempestatis primores, quasi auras, frangere oporteret, Christianissima atq; affinitate coniunctissima Regina ad gubernacula sedente, suopte Franciscus Princeps ingenio, cominus noscere primun constituerat; tum vbi res ita postularet, interpositu corporis, atq; ancipiti sui capitis dimicatione, in illis propellendis Reginae inseruire, atq; omnem pro virili parte operam nauare. Iamq; profectionem animo adornauerat; cum nouum repente classi cum auditur, & Diuini numinis Imperio alias ad pugnas, atq; ad ampliores in Coelum triumphos, vocatur. Parendum omnino fuit summo rerum omnium Imperatori Deo, & belli robora, quae firmissima pectoris fortitudine Franciscus munierat; & pacis decora, quae prudentissimae rationis consilio exornauerat, in votis augustissimae Reginae, non re ipsa relinquenda fuerunt, suae in Illam singularis reuerentiae, & paratissimi obsequij testes locupletissimos.

Verum quod explicuit iustitia signum A. à prudentiae me castris, ad sua euocat; nam cum summo exercitus Imperatori

necess.

necessarijssima sit iustitia, nunquam seuerius exercita quam hac in expeditione, his cum militibus, Francisco Duce, ac vindice leuissima etiam furta carceribus, ac non dissimili mulcta corrigebantur, quo effectum est, vt minora puniendo, in maiora crimina cautum fuerit, non stupra, non incendia, non reliqua corruptae militiae crimina, illius incolis regionis, Hetruscorũ militum nomen redigunt in memoriam. Multa tum viri, tum foeminae commercij causa in castra portabant. Florentiae putares, aut Pisis nundinas agi; pacata vbiq; non nisi verba, honestae, integraeq; pactiones, aequissima rerum pretia. An verò putatis suopte id hominum ingenio accidisse? Iam sontibus indictas poenas: iam leuiora etiam expiata crimina audistis; nunc qua potissimum ratione iustissimi milites euasere, non legibus, non minis, non carceribus, non crucibus propositis, accipite. Princeps, Princeps, inquam, hoc praestitit ita se se conformando, vt omnibus, & lex operum, & censura morum esset; ijsdem illis, quibus alios faciendo addixerat, non intercedebat, sed primus omniũ obtemperabat, eoq; diligentius, quo legibus parendo, sua faciebat imperata, aliosq; vt facerent sui cogebat exemplo: somni modicus: laboris impiger: tempestiuis aeque, atq; intempestiuis noctis horis, nouos subinde nuncios excipiebat: signum, vt mos est militiae, tradebat: neminem aditu, cuius eum alloqui interfuisset, prohibebat. Vbi tempus abeundi aut sistendi aduenisset, abibat, sistebat, caeterisq; immixtus, praeclaram illam, ac verè Imperatoriam vultus Maiestatem, turmis excitato puluere nouo quasi lenocinij genere decorabat: sub dio in propatulo cibum leuissimè capiebat, nulla penus, aut supellectilis pompa, vix sarcinis, quae humum inijciebantur simplicibus, purisq; mantilibus, quasi phrigij operis auleis conuestitis, quae longe splendidissimas mensas antiqua illa neglecti cultus parsimonia, praestabant, ita vt ex veteribus aliquẽ Franciscum Principem ad bella informantem arbitrareris, non Principem ipsum, iam tum bellicis initiatum, atq; iam in ipso belli apparatu ea assequutũ quae vix diuturna meditatione diuturnoq; patientiae vsu, ediscuntur.

Poteranťne igitur non obtemperare bellicis praeceptis, milites illi, iustitiaeq; non parere, qui iustum adeo, militiaeq; le-

gibus

gibus obtemperantem Ducem reperere? Atq; haec de Principis aequitate, sanè paucas liberalitatem verò quibus recensere verbis, nedum exornare possimus? Gentilitium Francisco Principi Decus, ac per manus auorum acceptum, in benemerentes seu militiae, seu domi, ingentes diuitias erogare; sed ille sibi, quasi proprium vindicauerat, illud iam edoctus, nullam magis virtutem militum animos demulcere, quam liberalitatem, nihilq; magis summo Duci necessarium, quam benificentissimum, ac munificentissimum se praebendo, omnium sibi voluntates deuincire, hinc si priuati quicquam, aut publici iuris cum aliquo fuisset agendum, si itinera conficienda, si hominum mores, si Regum aulae uisendae omnia muneribus metiebatur, iam tum quos non nouerat incredibili penè liberalitate complectens. Memini A. in illa per mutinenses Alpes ad mantuam profectione, horruisse primum incolas messis tempore appetente, tam validas equitum copias peditumq; per culta, per sata, vt necessitas ferret extructo agmine incedentium. Existimabant enim proximiorem sibi, ac perniciosiorem belli calamitatem, quàm ijs ipsis futuram, quibus cum bellum agendum esset. Et sanè sicubi castra ponere oportuisset, pleraq; diri piebantur, ac vastabantur, vt qui mos est militiae, necessarij commeatus, caeteraq; id genus exercitui pararentur, neq; tamē inde quid quam incolis detrimenti allatum est, Quid quid enim rapiebant, quid quid caedebant, quid quid vellebant milites totum id liberalitas Principis cumulatissime farciebat, publicis ex quocumq; pago aestimatoribus non aduenis, sed indigenis accitis; tum verò non horrere coeptum, Imò fama peruagante, quos praedones, quos populatores vocauerant, dirisq; vouerant, iam quasi messores, atq; operarios suos vnicè diligebant: atq; opportunum arbitrabantur, seminoctis militum opera, maximorum laborum fructus nullo suo cum labore capere, aurum nimirum Principis, omnia exhibebat: turbinumq; ac procellarum iniurijs declinatis, gaudebant in sinu, ac mirabantur rationes temporis pro priasq; cupiditates liberalitate Principis fuisse praeoccupatas.

Verum cum longius de liberalitate disputo, sentio quasi in limine temperantiam, virtutum agmen claudentem, virtutum omnium speciosissimam, atq; ornatissimam. Haec nimirum est

Audito-

Auditores, quae dies, noctesq; continenter bellum gerit; Non illi argento vel auro, non militum vi, non mortis periculis opus est, vt dimicet; paratum, intentumq; semper habet hostem, voluptatem perniciem, pestemq; animorum. Et sanè, quot illi ad animos nostros inopini patent aditus? quàm occulto calle, quã surdo vestigio inrèpit? Hauserat hunc sensum à teneris incunabulis Princeps noster, ac toto pectore pulcherrimam virtutem amplexus, adminiculis ijs, quas semiuirtutes vocant, animi corporisq; fores occluserat, atq; acerrimum voluptati bellum indixerat; puer verecundus; pudicus adolescens, nulla, neque verborum, neque gestus mollitie, in extremos temperantiae fines excurrente; An, ne voluptates despicere, tum solum libuit, cum Serenissimae Matris ob oculos, in refertissima aula, omnia non solum facta, sed etiam dicta Principis perpendente, deerat ille cebris aut locus, aut occasio? Age verò è sinu matris egressum, suiq; iuris effectum, cum clarissimas interioris formae notas solutus profert animus, an noua ratio viuendi, noui illum mores inuasere? Amoenissima totius Italiae regio hetruscum Principem patrijs moribus innutritum, atq; auxiliaribus copijs praefectum, ita suscepit, reddiditq; vt planè intelligeret, ad bellum; non ad voluptates, suppetias Serenissimo affini Duci Laturum, non choreas ducturum aduenisse. An ideò difficilem, atq; asperum moribus dicemus? num potius (quod sapientiores faciunt) prudentem appellabimus, hac vna in re oculis, & cogitatione defixũ, bellator, vt fieret, Imperatorq; clarissimus? Nouerat sanè Princeps, primos, ac validiores hostes in animo residere, eosq; honestate propositi finis esse illi compescendos, qui maria, terrasq; omnes mente complexus bellcae virtutis gloria, atq; heroicorum facinorum memoria, complere vniuersa decreuerat. Has ille delicias amplectabatur has animo confouebat, nõ auribus nõ oculis pellicebatur, si venustũ, si concinnũ aliquid ocurrisset, quod raperet omnes Serenissimus Mantuae Dux saepe Principem enixè rogauerat, ac lapidem omnem mouueratur, vt pulcherrimam vrbem inuiseret (morabatur enim cum copijs in oppido ad ripam fluminis constituto, quod à placidissimo aquarum cursu olei nomen accepit) post liberales, ac profusas preces, paruit tandem, qua erat comitate insigni, affini

Duci

Duci humaniſſime poſtulanti, & Mantuam profectus non affectatae virtutis maximum edidit argumentum. Etenim quam ſplendidè, quàm magnificè exceptus, atq; habitus eſt? In quae oculos, ac mentem non verterat? Quid intentatum Dux omiſerat, vt aeque candidiſſimum ſinceri pectoris amorem, & regales aulae valuas ſummo hoſpiti patefaceret? Quae & quanta ſummo vndiq; ſtudio comparauerat, ſiuè ad regium animi oblectamentum, ſiue ad corporis ingenuam voluptatem? Quae tamen omnia cū multos, atq; integros dies efflagitarent, paucarum horarum ſpatio Princeps noſter primoribus tantum labris delibauit. Durum nempe illi, ac minus è re belli videbatur, caſtra, militesq; ſuos, vel ad pauculas horas relinquere, nulla ſibi oblectamenta, nullas conducere voluptates arbitratus, quae militaris vitae laudes, ac praecepta non eſſent; Itaq; ea etiam, vel faſtidiebat, vel paruifaciebat, quibus ſolemne Principibus eſt voluptatem capere, neq; ille extra belli, Martisq; curas aſpernabatur; Sed ita ſe ſe totum bellicis artibus eo tempore emanciparat, vt nullus, neq; ingenuis voluptatibus locus relinqueretur. O verè temperatū, ò verè caſtum, ſanctumq; Principem. An aduerſa valetudine, an aetate confectum, ſolaq; febri calefaciendum ſanguinem faſtidiuit voluptas? An potius roboris, ac ſanguinis nimius, in ipſo aetatis flore, efferueſcentes animi motus cana ipſe virtute fregit, atq; cōpeſcuit? En Scipio, En Cyre laudatiſſimae; ſed procul eiectae virtutis veſtrae imitatorem En qui pudicitiae veſtrae admirationem minuit, auget fidem. Sentio nunc quid expectetis A. video in oculis veſtris animū. Ego caſtum, ego temperatum, etſi inter amoeniores, liberioresq; rationes viuendi Principem noſtrum expreſſi; Ecquid putatis, eo primum tempore tam eximiae virtutis formam diuino quodam munere è Coelo ad fuiſſe, vel ante actae vitae ſpatijs commaculatum animum, tunc primum delicias reſpuere coepiſſe, & qua primum die iniit cum immaniſſimo hoſte bellum, de voluptate triumphaſſe? noſtrarum partium id muneris eſt; A. virtutesq; omnes honeſtiſſimorū exercitatiōe facinorū procreantur. Non igitur fortuita virtus, at nec affectata quidem, ſed vera, ſed altius pectori infixa, temperantia illa, atq; caſtitas erat, Quod autem ipſimet hiſce oculis vidiſtis candidiſsimae virtu-

tis testimonium, non audaciae, non adulationis inuentum, sed pijssimae virtutis promeritum est.

Omnium virtutum apparatum, copiamq; recensui A. quos ad propositum sibi finem conducentes, velut fundamenta Princeps noster iecerat, moles ipsa extruenda nunc est. O duram nimis humanae vitae conditionē, ò asperam, ò intempestiuam mortem. Tam bene compactis, tam magnifico sumptu iactis fundamentis praeclarissimus architectus, ex omnium oculis surreptus atq; immaturae mortis gladio peremptus est. Quid ergo? An, ad domicilium gloriae conficiendum, parata, promptaq; materia, situ torpere sinenda est? An euoluenda potius, apertoq; aeri exponenda? sentio nunc. A. meatum imbecillitatem viriū, nunc tam inlustri, tantoq; operi, imparem me Fabrum praefectū esse cognosco. Quamobrem, quod imbecilliores faciunt, qui congestae materiei tractandae pares non sunt, satmihi erit singula vobis indicasse, vt robustioribus viribus vniversa euoluatis, & in suo quaeq; lumine collocetis Neq; vos agat ea tanto apparatui ornamenta defutura, quae omnium in se oculos, mentemq; couertunt. Lustratum classibus aequor, procellis, ac tempestatibus obiectum caput, per fluminum gelu obdurata tergora, ingentia transmissa bella; immensos montes, quo victricibus copijs explicandis latissimum praeberet campum, deturbatos; profligatum, atq; in latebras pulsum orientis Tirannum; rebus deniq; omnibus vel solo aequatis, vel ad vnius Imperij potestatem elatis, opimis onustum spolijs, ac splendidissimo triumpho nobilem, fortunae quasi humeris, ad altissimum bellicae laudis apicem euectum Imperatorem; nam potiora sunt, atq; illustriora, quibus affluitis, quam ea, quae desunt: Quotus quisq; enim est, quin intelligat, illa adeo praeclara, ac magnifica temporis, fortunaeq; viribus plerumq; tamtum innixa, ruere repente cum minus veremur? Quod in excelsis aedificijs, non tarò perspicimus, cum exustis aedibus, ac sublimioribus fastigijs conuulsis, solum humo depressa altius fundamenta ruinae casibus immota persistunt. Vos in Deum religiosum, ac pium, vos cum hominibus liberalem, munificum, suauem, aequabilem, suorum amantem, maioribus obsequentem, sibi ipsi castum, fortem, temperatum dicetis; quod ille, vt non esset;

nulla

nulla vis, nullus efficere potuit, cuncta profligantis mortis impetus. An vero si cum Alexandri Macedonis fortuna, illaq; rerum gestarum beatissima copia, perfidiam Annibalis, libidinem Caesaris, Syllae iracundiam, Marij crudelitatem, ac Nestoris etiam annos in illum congerere potuissemus, duxissemus ne satius, strenuum bellatorem, maximumq; Ducem Principem coluisse diu, sed ancipitis dubiaeq: virtutis, an potius nullis aspersum maculis, nullis vitiorum notis deturpatum, ad eminentissimum gloriae fastigium, per virtutis, non per fortunae gradus properantem, & lugere, & laudare? Virtus, Virtus est ipsa per se laudabilis, caetera vt laudentur, facit illa. Huius igitur, quam ego in Principe nostro linguae penicillo penè adumbraui, vos immaginem, vos simulacrum adamussim exprimite, ingeniũ acuite, eloquentiae habenas remittite, campumq; patentissimum, quem ego penè attigi, liberrimo cursu peruagamini. Erit ingenio, erit eloquio vestro aptisśima materia, & laudis, & lacrimarum vberrima. Ac periculum vobis faciendum erit, Tuscis ne musis contingat vno, eodemq; tempore, & canere dulciter, & deplorare suauiter, & celebrare magnifice. Idq; potisśimum, quantum potestis voce, atq; oratione contendite, nihil aliud optimo Principi defuisse ad absolutisśimam gloriam manu capiendam, quàm occasionem, ac diuturniorem temporis, vitaeq; vsuram Corpus verò clarisśimi illius animi electisśimum domicilium, non modo lacrimis decorate, quae cito nimis arescunt, sed magis duraturis officijs prosequimini, atq; illud vobis dictum putate.

Tollite cuncta inquam, coeptosq; auferte labores Omnium officinarum fabrorumq; omnium labor, Francisco Principi insudet; illum coloribus, illum auro, illum argento illum ebore effingite. Sentiat tandem inuida mors, cum optimum homini sit diu benè, beateq; viuere, proximum illi esse ibi gentiũ emori, vbi, & praestantisśimarum artium opificijs, & doctisśimorũ virorum monumentis, mortalis corporis diù, atq; immortalis animi aeterna vigeat recordatio.

LAVS DEO.



